# De Terrae Pucensis Incolarum Superstitione in Re Medica.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE 11. M. DECEMBRIS A. 1851
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

**FLORIANUS CEYNOWA**
BORUSSUS OCCIDENTALIS

OPPONENTIBUS:
AMORT, med. et chir. Cand.
GABRIEL, med. et chir. Cand.
ECKERT, med. et chir. Dd.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

„Quamquam igitur multa sint ad ipsas artes proprie non spectantia, tamen eas adiuvant excitando artificis ingenium. Itaque ista quoque naturae rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinae reddit.“

*A. Cornelius Celsus. Medic. L. I.*

„Utinam tam facile vera invenire possim, quam falsa convincere.“

*Cicero. De natura Deorum, I. 5.*

CELEBERRIMÆ SOCIETATI

HISTORIAE POMERANIAE EJUSQUE ANTIQUITATUM

HUNC LIBELLUM

D. D. D.

AUCTOR.

# PROOEMIUM.

Quum quisque medicus in universum eniti debet, ut scientia omnium plus minusve ad medicinam pertinentium disciplinarum eiu civitatis, in qua suum domicilium habere vult, sese praecipue im buat: tum speciatim medendi rationibus viisque eorum incolarum inter quos habitat, operam navare oportet quam maximam. Populus enim in diversis regni partibus seu provinciis sedem habens secundum patrum mores, secundum consuetudinem sese peculiariter gerit servatque quasdam sui generis medendi methodos, quas instituto legesque tantum pedetentim mutare queunt; verum enimvero regulae a parentibus filiis datae atque relictae saepenumero pluris aestimantur, quam normae a gubernatore civitatis praescriptae. Non modo consuetudo gentis est contemplanda, sed etiam regionis situs, plantae ac varia terrarum genera. Deinde medentis est, praecipuam sagacitatem in religione, quae sine dubio vim exserit quam maximam in plebem, omnia non satis explorata atque obscura ad Deum eiusque potestatem annectentem, uti multos morbos, exempli gratia Epilepsiam, Tetanum uno verbo morbos nervosus, vitia congenita, ostendere atque ab initio statum religiosum populi, quocum versatur, non solum perstringere, sed perspicere. Quo facto brevi temporis spatio animadvertit, quot et quantas superstitiones usque ad

nostram aetatem hic illic in plebe vigent et quomodo ab hominibus insontibus et fallacibus in rem medicam adhibentur.

Populo credulo vel omnino rudi vel non satis erudito sunt praecipue necessaria signa visibilia. Quo evenit, ut cum superstitione quaedam formulae et pharmaca conjungantur. His rebus cognitis quisque medicus, imprimis autem medicus forensis, fructum carpit quam maximum.

Unde, quaeritur quis, harum formarum remediorumque notitia est petenda? Ex recte quaerit. Usque ad nostram enim memoriam medicatores ad huiusmodi observationes non saepe advertebant animum easque rarissime et scriptis complectebantur et promulgabant. Idcirco ad incolas ipsos se applicare et mansueta cum iis vivendi ratione commemoratarum rerum scientiam impetrari necesse est. Quod nihilominus haud semper prosperum habet successum. Est enim praesente medico plerumque quaedam taciturnitas plebis de rebus ad medendi scopum iam adhibitis; forsitan quia modo altius, id est a Deo, sunt petitae, modo secundum populi opinionem ad medici scientiam non necessariae, modo pudorem moventes, namque pharmaca in usum vocata sunt saepenumero teterrima, exempli causa urina ipsius aegroti, faeces caninae, felinae, anserinae, iisque similia. Quae cum ita sint, cuiuscumque artis medicae periti est, huius modi observationes in ea regione, ubi est natus atque educatus, caute colligere, quam accuratissime conscribere et in lucem proferre. Inde originem ducit haec dissertatio, qua plebis terrae Pucensis superstitionem, plus minusve ad totam provinciam, quae Borussia occidentalis appellatur, et ad partem provinciae, quae Pomerania nominatur, pertinentem, in re medica, quantum in me est, sum descripturus.

---

Primum pauca introductionis loco dicenda sunt de terra Pucensi eiusque incolis in universum; dein res ipsa est tractanda secundum hanc distributionem: de benedictionibus herbarum aliarumque rerum, de sagis et incantatoribus, de daemoniacis, de homunculis invisibi-

libus, de cadaveribus, imprimis sane non mortuis, de numeralibus ter, tei̇ni, tres, tria, de signo crucis, de furatrina et de nonnullis aliis ineptiis; denique est exponenda, instar conclusionis, ratio, qua forsitan nefaria superstitio ex re medica removeri possit.

# INTRODUCTIO.

Populus terrae Pucensis est plurima ex parte ecclesiae catholicae addictus; utitur praecipue sermone Cassubico, qui est dialectus linguae Slavicae, status humanitatis, eruditionis culturaeque non est eximius; vivendi ratio secundum regiones variat, cibus in peninsula Hela sive Mjedzemorze constat imprimis e piscibus, in continente apud ditiores est diaeta mixta, i. e. partim, ut ita dicam, carnea, partim vegetabilis, pauperes autem fruuntur imprimis solanis tuberosis; aer huius terrae, uti omnium maribus adiectarum et paludibus carentium regionum, est purus, ad secundam valetudinem conservandam aptus; incolae sunt plerumque robustae naturae habitusque carnosi. In morbis quam rarissime consilium ab artis medicae peritis sibi expetunt; quam maximam autem fidem ponunt in religione eiusque ceremoniis.

## Narratio et confirmatio propositorum.

I. Ad hanc rem confirmandam et sustentandam optimam praebent occasionem benedictiones variarum herbarum, aquae, salis, panis, cretae, vini, olei, quae in ecclesia catholica liberali manu perficiuntur. Sunt enim quidam dies festi, quibus ejusmodi ceremoniae exerceri solent.

a) Dominica assumptionis Beatae Mariae virginis (die 17. Augusti), quae vulgo Nosvjętszo Panna zelno nominatur, benedicuntur dissimillimae herbae, quarum secundum Linnéi nomenclaturam enumerare possum: Calendulam officinalem (nokce), Convolvulum pur-

pureum (vjika), Papaver somniferum (makóvjica), Hyoscyamum (beleca), Rutam (ruta), Tanacetum vulgare (pókrętnjik), Chrysanthemum coronarium (zełte knopki), Heranthemum annuum (kóscelnjica), Lilium candidum et bulbiferum (lilije), Lavandulam spicam (levęda), Anethum graveolens (kóper), Coriandrum sativum (kólęder), Helianthum annuum (słonecznjik), Lactucam sativam (salota), Mentham piperitam (mjętka, wurazeve drzewo), Mentham crispam (hokbaba, spjika), Solanum dulcamaram (klosztorni kvjat), Dianthum (gózdzik), Melilotum album (bjełi klever), Melissam off. (czerzvjone baranki), Alceam roseam (sztokrozo), Malvam (sloz), Daturam stramonium (bjelun, wóstropóst), Sinapim nigram (czorni kólęder, czorno gorczeca), Inulam Oculum Christi (wósmóże), Salviam off. (szalvjio), spicas secalis, tritici, hordei (żetne, pszenne, jiczne kłose), poma mali, pyri (jabka, kreszki); interdum etiam kórki, wudram, peperkrut, bóżedrzevko, panjenki, arfrung, krziżove drzewo, lajk seu gromove zele, quarum nomina latina nescio. In hac magna herbarum copia incolae contra qualescunque morbos auxilium semper sibi esse opinantur, ad quos vel prohibendos vel fugandos aut singulas, aut plures aut sine discrimine quandam omnium quantitatem in usum vocant. De indicatione cum iis non est certandum, namque est conjuncta cum ineptiis quam maximis. Si quis sanguinem mingit, adhibendae sunt herbae coloris rubri; si quis torquetur doloribus pungentibus, remedium invenit in herbis aut hirsutis aut aculeatis, uti in Datura stramonio. De dosi quoque minime scrupulose agunt. Pharmacorum quantitas certissime tum sufficit, quum effectum aut prosperum, quod rarissime ope medicamenti efficitur, aut adversum edidit. Ad intermum usum eis formae imprimis decocti et infusi, ad externum praecipue cataplasmatum, fumigationum et balneorum quadrant. Longum est enumerare morbos, in quibus utuntur commemoratis herbis, nam ferme nullus aegrotus ad medicum confugit, qui antea nondum sit expertus vim medicatam rerum benedictarum. Hujusmodi herbae sunt autem non solum hominibus, sed etiam animalibus efficacissima remedia, modo morbos prohibentia modo fugantia. Exempli gratia:

1. Infans recens natus illico lavari debet aqua, cui est admixtum infusum herbarum benedictarum, quo facto tutissimus et a sagarum incantatorumque potestate.

2. Mulieri partum enitenti supponendum est decoctum herbarum benedictarum, quod totum actum faciliorem, breviorem et feliciorem reddit.

3. Quum urina est cruenta, in usum vocanda est Melissa off. benedicta.

4. Odontalgiae optimum remedium continent fumigationes e Datura stramonio benedicta paratae.

5. Vacca, partu edito, statim primo et secundo die ter bibat aquam, in qua positae sunt variae herbae benedictae et pecten, necesse est. Quo facto lac sese semper bene habet et non sua sponte coagulat.

6. Quum primum stabulum est relictura, sub limine esse debet testa cum igne, cui impositae sunt herbae benedictae, ut vacca exiens fumigetur.

7. Calendula off. benedicta danda est pecudi, quae in alium, non aptum, pastum venit.

Etiamsi antecedentes casus tantum superstitionem populi indicare videntur, sunt tamen alii minus insontes. Hoc modo in una villa, cui nomen est Selecece, brevi temporis spatio duo individua, quae pharmacis benedictis erant usa, animam exhalarunt. Ante paucos annos quaedam mulier ad dolores post partum mitigandos magnum sinapeos nigrae benedictae copiam sumsit et non multo post vita decessit. Simili modo duobus ante annis vir florentis aetatis, nomine Jafk, qui forti seminis Daturae stramonii benedictae decocto adversus dolores pungentes affatim usus erat, hoc modo venenatus, ut medicus forensis sectione facta sibi persuasit, intra quatuordecim horas animam efflavit.

Qua de causa populus est iterum atque iterum admonendus, ut herbas veneniferas cognoscere studeat, ne eas inter ceteras ad benedictionem collectas misceat. Quum vox medici apud istam plebem minimum valeat, gravissimi autem momenti sit quodcunque

verbum sacerdotis: sine dubio horum esse oportet, in dies magis magis praescribere regulas, ut rustici tam valida venena sibi notent, significent neque ad illum sanctum actum ea ferant.

b) Ad benedictionem ceterarum rerum, quarum jam supra mentionem fecimus, sunt plerumque certi dies constituti, ut coronarum herbariarum dies Veneris hebdomadis majoris (die 17. Aprilis), salis seu natrii chlorati et panis festum St. Agathae (die 4. Februarii), ramorum Rhamni cathartici (szatlach) et palmarum (palma, fijok), dominica palmarum, i. e. ultima ante festum Paschatis seu Resurrectionis Jesu Christi (die 13. Aprilis), quae vulgo njedzela kvjetno appellatur; aquae et cretae seu calcis cretae s. carbonae calcici vigilae epiphaniae Domini (die 5. Januarii), aquae etiam dominica pentecostes (die 8. Junii), quae vulgo zelone svjątki nominatur; denique vinum et oleum fere quocunque die benedicuntur. Nunc pauca de harum rerum benedictarum usu sunt dicenda.

1. Quum lac insueta celeritate coagulat, recens per coronam herbariam benedictam semel est consecrandum et in posterum sese bene habebit.

2. Quum ruminantia pauxillo benedicti et panis et salis usa sunt, a vipera seu colubro non mordentur.

3. Vigiliis nativitatis Jesu Christi accipit anser pauxillum panis benedicti cum spiritu frumenti et sane est fortissimus omnium totius villae.

4. Quum flamma corripit aliquam domum, spargendus est sal benedictus et flamma plane restinguitur.

5. Si benedicta creta die epiphaniae Domini foribus signum crucis inscribitur, sagae, incantatores diabolique nec foribus domum stabulumve intrare nec intus homines vel animalia morbis afficere queunt.

6. Quae cruces imprimis vigilis St. Joannis esse debent, ubi etiam aliae pice liquida fiunt, paululum Rhamni cathartici benedicti foribus affigitur ac stabula domusque aqua benedicta consperguntur, ne diaboli et praecipue sagae aliquam nocendi potestatem habeant, quae proxima nocte media in monte, qui łesogora seu

Bloksbarch vocatur, congregari solent et in itinere damnis quam maximis libenter afficiunt et animalia et homines.

II. Est enim quam latissime propagata farma, quasdam mulieres et nonnulos quoque viros posse incantare, quam crudelitatem, ut nunc res se habent, tota saecula non exstirpabunt. Hujusmodi anus seu saga, quae vulgo czarovnjica vocatur, talisque vir seu incantator, qui vulgo czarovnjik appellatur, difficillimi sunt cognitu; et tantum sacerdos in processione sanctissimum sacramentum sive hostiam ferens ejusmodi mares et foeminas dignoscere potest; videt enim eos pileis rotundis in capite significatos. Incredibile dictu! Hae ineptiae usque ad nostram memoriam exstiterunt. Sagae et incantatores sunt generi humano et interdum animalibus quam inimicissimi atque infestissimi; nam saepenumero etiam involuntarii solo intuitu austero aliquem incantant, ut variis morbis et chronicis et acutis tentetur.*) Qui miseri homines, si occasione oblata istud nefarium scelus nequaquam exercere volunt, hallices post cingulum braccarum trudere debent. Ceteros mortales ad calamitates, inde et ipsis et eorum pecudibus, pecoribus avibusque imminentes, evitandas vel jam ortas leniendas delendasque his regulis obtemperari opus est.

1. Quoniam cruces supra commemoratae sagarum introitum nocturnum sine testibus ad domos et stabula impedire possunt, non sunt negligendae.

2. Infantis recens nati primum linteolum a panno matris sit necesse est. Tali partui sagae incantatoresque nocere nequeunt.

3. Ceterum est notandum, sagas vel incantatores infantem, dummodo per digitorum interstitia adducto vultu intueantur, incantare. Contra morbos inde originem ducentes est optimum hoc remedium: Sumitur arena e ternis fulcris trium rotarum ejusdem vehiculi et in infantem ter spargitur. Quum est puer, etiam sufficit, ut urinam

---

*) Quo fit, ut medicus aegrotum rusticum de morbi causa rogans haec verba persaepe audiat: a malo homine (wód złeho człovjeka, von einem bösen Menschen).

suam bibat eademque conspergatur. Sed omnia, ut certum ferant auxilium, statim sunt facienda.

4. Sagae specialis generis, quae móre nominantur, libenter afficiunt dormientes homines morbo, qui a medicis Ephialtes appellatur, et id nefarium opus saepenumero quavis nocte repetunt. Ad ejusmodi morbum fugandum aegrotus omnia atrii ostia, etiam foramen clavis, quam accuratissime farcire et sibi manicam induere oportet. Quum saga venit et super lecto cubans aegrum dormientem manifeste comprimit, quam facillime prehendi potest. Non semper habet formam hominis, nam saepe init metamorphosin et sese transformat in aliud corpus, uti in pyrum, malum, pomum; sed nihilominus est tenenda et torquenda, ne ii in posterum veniat in mentem, hunc locum frequentare.

5. Partui ab equa recens edito fascia rubra circa collum est liganda, ne incantetur.

6. Eandem ob causam equi castrati caudae paululum panni rubri est implectendum.

7. Praecipue autem pulli avium, ut ita dicam, domesticarum e sagarum incantatorumque potestate sunt eripiundi. Partus est enim quam tenerrimus et quam facillime aegrotat. Itaque secundum plebis opinionem persaepe incantatur. Ad hujusmodi res adversas impediendas pulli anserini, quum primum ad pastum foras procedunt, herbis benedictis fumigantur. Eadem ratione pulli ceterarum avium domesticarum sunt tractandi.

8. Pulli magia affecti integro statui optime redduntur, aut si ter mittuntur per braccas, aut si ter consperguntur hominis urina eamque potant, aut si terna bacula trium sepium terminalium vesperi clepta comburuntur eorumque carbones novem non solito ordine, sed vice versa numerati (i. e. incipitur a numero novem, tum sequitur octo et finitur uno), super pullos aegrotos in aquam hoc scopo prope positam mittuntur. In summo incantationis gradu nullum aliud est auxilium, nisi quod pullum jamjam moriturum capitis damnare eique collum praecidere atque sanguinem cum reliquorum

aegrorum potione miscere velimus. Quo facto paululum mixturae in aegros ter spargitur; reliquiae ad bibendum remanent.

Hoc loco illius quoque nefarii facinoris, quod ante nonnullos annos in villa Ceynowo, quae in peninsula Hela seu Mjedzemorze est sita, peractum est, paucis verbis mentionem facere debemus. In terra Pucensi vagabatur homo extraneus, nomine Kaminski, munus obiens castratoris, sed etiam notus venarum sector, qui apud credulum vulgus variis machinationibus, imprimis blanditia, quod omnes superstitiones laudibus efferre solebat, sibi famam viri rei medicae non ignari, immo vero periti pepererat. In commemorata villa et sanis et aegrotis sanguinem large mittens apud quendam aegrum affirmavit, ejus morbum a malo homine esse illatum. Illico cum aegroti agnatis cognatisque consilio facto mulier est significata, quae incantationis sit potens et ibidem suam artem exerceat. Quum insons foemina ejusmodi scelus negaret, constitutum est, docimasiam aquariam experiri. Idcirco anus vi est coacta, ut in scapham descenderet. Deinde Kaminski cum istius horribilis dictu atque visu facinoris sociis in altum vexerunt et mulierem miseram in aqua exposuerunt; quae initio propter vestes siccas et amplas non est submersa, sed natavit. Tum hujus immanis nefandaeque rei auctor exclamat: Videte, videte! cernite, cernite! Diabolus eam fert et non sinit subsidere; remorum plagis est obtegenda et in mare salsum praecipitanda; jam habemus certum signum, eam esse sagam teterrimam. Hoc modo misera mulier vulneribus inflictis in aequore efflavit animam. Sed de sagis incantatoribusque hactenus.

III. Non multo minus propagata est opinio, quae ex theologorum sententiis de malorum spirituum potentia in corpus humanum quasi nutrimentum capere videtur, daemoniacos exstitisse. Attamen illorum sententias neque impugnare, neque inter se conciliare volumus. At ex rerum naturalium et causarum morbificarum ignorantia plures a veteribus pro daemoniacis falso habitos fuisse, manifestum est. Quo evenit, ut temporibus recentioribus a populis literarum studio imbutis hujusmodi rerum nulla exempla in lucem proferantur. Nihilominus in terra Pucensi haec superstitio viget.

Eadem prophylactica, quae contra sagas incantatoresque adhibentur, serviunt etiam maxima ex parte ad diabolos arcendos. Quum autem medius fidius qui mortalis est daemoniacus, auxilium imprimis a sacerdotibus est petendum. In ejusmodi hominibus artis medicae peritus vir plerumque tantum maniam, furorem uterinum, epilepsiam, catalepsiam, tetanum et similes morbos cognoscit et dijudicat, quod aegrotis non sufficit; quocirca plurimi daemoniaci, quum hujus regionis et monachi et presbyteres neque larga manu neque aperte opem ferre velint, praecipue ad quendam emeritum Skarszeviensem (Schoeneck), aut necessitate coacti ad quandam anum, nomine Schirwanz, quae vulgo mulier Słałutaviensis vocatur, sese conferunt, ubi et ceremonias affatim videre et pharmaca accipere queunt. Quum inter illius medicamenta primum locum tenet vinum benedictum, cum nondum satis cognita tinctura conjunctum, et ordinatio illiniendi caput oleo olivarum obtegendique pileo calido, ut plica polonica sese ostendat; et aegrotus e precibus, ad Deum omnipotentem ab eo, uti a ceteris sacerdotibus in eundem scropum, missis, sine dubio nullum aliud detrimentum accipit, nisi ut hac de causa auxilio medicorum neglecto in morbis, qui aptis medicaminibus suo tempore adhibitis certe deleri possunt, ejus vita in discrimen vocetur quam maximum: tum apud hanc mendacem anum res sese aliter habet. Studet enim qualibuscunque viis atque rationibus credulam plebem fallere, quocirca praeter varias ceremonias secundum aegri ecclesiam — ipsa est ecclesiae evangelicae addicta — perfectas, uti in praesentia aegroti catholici signa crucis, flexiones genuum, in usum vocat pharmaca minime blanda et insontia; nam imprimis utitur excitantibus, exempli gratia spirituosis, Camphora, Asa foetida. Ad diagnosin constituendam sufficit ei, uti astutae vel, ut accuratius dicamus, versutissimae mulieri, sola aegri urina, cui ex tempore mixturam plane copiosam, quae et oculis et gustu percipi potest, confundit. Secundum ejus opinionem plerique morbi ducunt originem a malo homine vel diabolo, quod suo more germanice demonstrat. Ad hanc principem medicamentariam annecti possunt nonnullae aliae mulierculae, sed has omitta-

mus. Eodem modo habet ille Kaminski multos successores, qui in phlebotomia eum superare, in aliis autem rebus non assequi videntur. Sed longum est, eos enumerare; itaque in proposito peragamus.

IV. Etiam daemones, qui vulgo krosnjęta nominantur, quandam potestatem in homines exercere eosque nonnulis morbis afficere queunt. Hi invisibiles homunculi habent suam sedem aut in domibus sub fornace vel foco, aut in equilibus, aut in hortis sub sambuco nigra. Quo fit, ut mortalis, qui eo loco, ubi domicilium habent, mingit, vel pemphigo vel prurigine tentetur.

1. Contra hujusmodi exanthemata secundo successu in usum vocatur haec machinatio. Sumitur fasciculus filorum, qui vulgo tol nominatur, nec coctus nec lotus, per quem foramine aperto infans vel juvenis — hi enim imprimis peccant — sursum deorsum ter traducitur.

2. Quum quis ejusmodi loco non solum mingit, immo alvum exonerat, et exanthematibus et curvaturis et aliis morbis submittitur.

3. Partus recens editus sub fornacis scamno ponatur oportet; namque hoc facto infans daemonum instar quietissimum sese gerit.

4. Initio apud infantes recens natos praecipue pulchros dies noctesque est vigilandum, ne homunculi invisibiles tetrum suum partum in incunabulis ponant et infantem humanum rapiant. Hanc enim transmutationem nullo teste faciunt quam libentissime.

5. Hae creaturare iratae non solum hominibus damno sunt, sed etiam animalibus fructibusque. Equi, equulei noctu non modo in stabulo carent quiete, sed foras quoque unus alterve exire debet, ubi daemones vicissim equitant. Intus eos verberibus affligunt ac plica polonica ornant. Gestiunt etiam fasciculos frumentarios ad vicinum transportare. Qui mortalium cum iis in gratiam redire cupit, necesse est, plures tunicas rubras fabricet et in loco ponat calumniato.

V. Opinio superstitiosa incolarum terrae Pucensis nondum sagis, incantatoribus, diabolis, daemonibus est contenta, sed latius patet, immo etiam ad mortuos confugit. Non agimus de anima, quod

minus ad rem medicam pertinet, sed de cadaveribus. Inest quaedam medicina corporibus mortuorum.

1. Omnes excrescentiae, exempli causa verrucae, evanescunt, dummodo manu exanimati fortiter fricentur.

2. Linteum, quo mortuus post ultimam lotionem siccatur, habet ejusmodi vim, ut erysipelati impositum hoc statim depellat.

At non omnia cadavera mortalibus commodo sunt, immo nonnulla damno. Sunt homines, qui post mortem vivunt et vulgo vjesczi appellantur. In eorum cadaveribus color pallidus mortuorum non apparet, sed plus minusve ruber, praecipue in facie, manet. Quod quum occurrit, necesse est, illico tali mortuo aut in os argentum signatum vel fragmentum argillae ustae seu testam inserere, aut papaver in ejus angustam domum spargere, ut sepulcro conditus tempus terat aut pecuniam contemplando, aut testam frendendo, aut grana papaveris numerando, nec ei in mentem veniat, media quaque nocte sepulcrum relinquere ac mortalibus nocere. Quibus rebus neglectis, periculum imminet quam maximum consanguineis. Brevi enim eum sequuntur et tota familia emoritur. In hujusmodi immani miseroque casu auxilium est petendum a Deo omnipotenti precibus sacerdotum aut adversus corpus mortui vitam turpissimam atque infestissimam degentis est agendum truculentissime, quod effoditur et qualicunque instrumento detruncatur atque caput, ne suo loco denuo accrescat, ad pedes est ponendum. Sed manum de tabula.

VI. Transeamus ad numeralia, quae in superstitiosis medendi rationibus vigent. Sunt autem ter, terni, tres, tria. Unde eorum efficax vis sit deducenda, nescio; quod nescire, me non pudet; sed esse ea magni momenti apud plebem, ostendunt tot, tantae, tum variae formulae, in quibus vel ad calamitates avertendas vel ad morbos impediendos aut depellendos adhibentur.

1. Erysipelas sanari potest tribus methodis, in quibus multum valere videntur nominata numeralia.

a) Prima methodus. Tres culmi eliguntur et apicibus immerguntur in picem liquidam. Postea sunt faciundae singulis culmis

ter tres, id est novem, cruces in erysipelate, sed tali modo, ut enumeratio incipiat a numero novem, tum retro descendat usque ad unum. Quo facto erysipelas obtegitur stramento lini vel cannabis et aegrotus epotat vasculum seri lactis, sive recentis lactis nondum saccati cum novem guttis picis liquidae. In toto actu observandum est silentium quam altissimum.

b) Secunda methodus. Parte corporis, in qua erysipelas sedem habet, nudata posthumus trium fratrum silici scintillas novies excudit. In hac operatione eodem modo, ut supra, numeratur et silentium observatur. Tandem aeger ter exspuit.

c) Tertia methodus. Benedictio seu alloquium (zazegnanje, Besprechen) erysipelatis est plane salutiferum. In hac ceremonia dicuntur haec verba: „Sta erysipelas in tuis vulneribus, uti Dominus noster Jesus Christus stetit in suis horis"; quae ter repetuntur una cum signo crucis parti aegrotae impresso et benedictione, nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Optimus effectus animadvertitur, si medicator non modo non obliviscitur cretam tritam in fascias, uti in stramentum lini vel cannabis, spargere, sed ea erysipelas ipsum ferme obtegit. Quo facto color ruber certe mutatur, pars aegrota incipit pallescere, et morbus est depulsus.

2. Atrophiae infantis est hoc remedium. Omnes ejus vestes, quae una induere solet, ponuntur in aere cavo, aquae pleno, et coquuntur. Interim pater familias domum ter ambit et per fenestras novies interrogat: „Mater, quid coquis?" Quae semper respondet: „aetatem nostri infantis".

3. Quum uvula tumefacta, quam illius terrae incolae delapsam vocant, deglutitioni est molesta, nihil aliud et agendum, quam ut in ipso vertice pauci capilli prehendantur et ter sursum fortiter trahantur.

4. Adversus infantis hydrocelen congenitam et tumores unius amborumve testiculorum haec adhibetur medicatio. Tribus diebus vel ante solem orientem vel post ejus occasum quidam modiolus fluvii domum est apportandus et in vas effundendus. Una cum aqua ex eodem flumine tres lapides apportantur. His rebus sub

altissimo silentio peractis, incipit secunda machinationis pars. Lapides ponuntur in igne et bene calefacti mittuntur in illam aquam, quae deinde aliquo vasculo hauritur et ad testes aegrotos funditur vel ter vel novies.

5. Si infans vagit et convulsionibus palpitationibusque cordis laborat, inter bacula scalarum vehicularium traducatur necesse est, quo facto totus morbus evanescit.

6. Quum quis vita decessit, cujus apes mellificae quam optime se propagabant ingentemque mellis copiam quoque anno conferebant, successor, qui tantam felicitatem sibi servare vult, illico ad alvearia accedere debet, singula ter pulsare atque haec verba pronunciare: N. N. (nomen et cognomen mortui nominatur) est mortuus.

7. Quum cujuscunque vaccae lac coquendo, etiamsi vasa coquinaria sunt purissima, persaepe et quam citissime coagulat, pauxillum lactis recentis in ignem spargere oportet, et dictum detrimentum certe cessabit.

8. Per ter tres, i. e. novem dies post vigilias nativitatis Jesu Christi foeminis neque aliquid assuere nec filum ducere et torquere licet. In qua familia illo tempore rotula non est pura et acus assutoria non requiescit, pecudes pecoraque macrescunt.

VII. Quemque populum ecclesiae catholicae addictum signo crucis et verbis, nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen, persaepe uti, res est notissima. At hac de re prorsus theologica, quum hoc scopo a mortalibus adhibeatur, ut Deus omnipotens quodcunque malum avertat propitiusque sit, ut diabolus fugetur, nihil dicturi sumus; quum antem latius pateat ac rebus plane medicis immisceatur, pauca sunt afferenda. Jam supra agentes de numeralibus, ut ita dicam, superstitiosis inter methodos erysipelati medendi, signum crucis nominavimus. Ad quod exemplum haec annectuntur.

1. Infans ingentibus convulsionibus laborans linteo sursum exuitur, quod in quattuor partes crucis forma diripitur et in agrum

portatur terminalem, ubi defoditur. Quo bene peracto, convulsiones in posterum non apparent.

2. Ad haemorrhagiam quam maximam sistendam sufficiunt hae operationes: aut sumitur lapis, qui tribus crucibus factis et verbis, nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, simul ter dictis, in sanguinem immergitur et eodem in loco, ubi antea jacebat, ponitur; aut cum certissimo effectu in usum vocantur cunei sellae, illi regioni propriae; sed hoc modo est agendum: in crucis forma quattuor cunei extruduntur, i. e. primum ex pede posteriore unius lateris, tum ex pede anteriore alterius lateris, deinde ex pede anteriore primi lateris, denique ex pede posteriore secundi lateris, et sanguine madefacti eodem ordine in crucis forma suis foraminibus locantur.

3. Adversus infantis atrophiam haec medendi ratio efficax est. In quadrivio ignis accenditur, super quem aegrotus secundum quattuor vias huc illuc, servata crucis forma, movetur.

4. Quum pulluli avium mansuetarum, imprimis anserini variis morbis implicati sunt, nec recte eunt, sed in dorsum labuntur, omnes anserculi e morte unius, qui in quadrivium portatur atque defoditur, opem remediumque quam optimum adipisci possunt.

VIII. Denique in medicamentis superstitionis illius terrae furatrina sibi comparavit quandam famam. Jam supra unum alterumve exemplum est allatum, ubi res ad medendum non ex aegroti fortuna, sed ex vicinorum bonis erant sumendae, id est, furandae, namque in universum ejusmodi operatores de rebus, quibus utuntur, nihil promulgare, minime eas expetere debent.

1. Contra verrucas similesque excrescentias in remediis est, si vicino diripitur manipulus stramenti eoque, ultimo de tabula, ex fornace postremo ducta, sublato pane, fricatur primum tabula, deinde verrucae vel aliae cxcrescentiae teruntur quam fortissime; denique manipulus in fornacem immittitur et aegrotus sese illico in fugam conjicit omnesque vires intendit, ne videat, ne audiat flammam straminis.

2. Crusta lactea hoc modo curatur:

a) Ante solem orientem vel post ejus occasum clepuntur terna bacula trium terminalium sepium, e quibus carbones uruntur et novem candentes super aegrotum in aquam hoc scopo prope stantem trajiciuntur. At, ut supra saepius notatum est, enumeratio incipit a numero novem et finitur uno; atque, ut multis aliis ceremoniis, silentium est observandum quam altissimum.

b) Aegrotus ex hoc morbo etiam evadit operatione sub No. IV. 1. commemorata, postremo autem ter exspuere opus est.

3. Quum quis anserem ad propagationem constitutam clepit, sibi felicitatem, praecipue autem anteriori ejus possessori comparat calamitatem: namque reliquae anseres morbis perdifficilibus torquentur, nec fertilia ova pariunt, neque aliunde empta ova incubant, verum enimvero pulli sese non bene gerunt, sed in varios morbos incidunt, imprimis ulcera adsciscunt. Tot, talium, tantarumque aerumnarum est unum atque unicum remedium: eligitur quicunque aeger anserulus et in stabulo ita defoditur, ut ejus rostrum sub limine jaceat.

Quum eadem de causa sues morbis affecti sunt, similia aguntur.

4. Si equos sine magnis sumtibus semper habere vis pingues, furari debes tabulas, quibus panis in fornacem movetur, easque clavis affigere vel tantum sub anterioribus equorum pedibus collocare, et tuum equitium sine exculentorum mutatione statim pinguescit.

5. In contrariam partem res vertitur, si quis equorum pecudumve escam clepit, quorum dominus cautus atque astutus vigiliis nativitatis Jesu Christi cotem seu fricamentum ensium in praesepio, e quo pecora mandunt, ponit. Omnes enim pecudes, quae direptis esculentis sunt usae, in dies magis magisque macrescunt.

IX. Restat, ut nonnullas singulares, superioribus locis nondum comprehensas superstitionis in re medica formulas perstringamus.

1. Ad haemorrhagiam per os et nares sistendam adhiberi debent recentes faeces equinae, quibus sacculus farctus ad aegroti dorsum alligatur quam fortissime; at semper est observandum, tu

foeminis faeces equi fusci, viris equae fuscae eligantur; nam sine ista regula nil prosunt.

2. Quum foemina post partum editum prius filum ducit ac torquet, quam ecclesiam frequentavit, infans ptyalismo tentatur.

3. Partui recens edito lintea vestis primum circa brachium dextrum et postea circa sinistrum est induenda; si vice versa fit, infans praecipue brachio sinistro utitur.

4. Vacca, quae vituli vitulaeve secundinis vescitur, coeundi ardorem omnino perdit; quem potione cum canis nigri excrementibus albis denuo excitari necesse est. Qua de causa secundinae in arboribus semper sunt suspendendae.

Sed satis superque de istis ineptiis plane anilibus; tempus est finem faciendi.

## Conclusio.

Vos autem, viri docti atque eruditi, qui cum illis incolis versamini, qui panem illius terrae manditis, vos oro, rogo atque obsecro, date, navate operam, ut superstitiones tam tetrae, tam immanes, tam nefandae sensim minuantur Imprimis a vobis, sacerdotes praeceptoresque, plebicolae, peto quaesoque, ut non modo ipsi tales ineptias refellere et removere studeatis, sed etiam re exigente artis medicae peritos, inprimis medicos forenses, certiores faciatis, ut ejusmodi res, ubi quaestio de morbo per magiam excitato aliisque ejus effectibus vulgo creditis, ante omnia de illorum statu, qui pro daemoniacis habentur, oritur, a medicatoribus prudentibus inquiratur atque, an dolo malo morbus simuletur, aut qualis morbus vere adsit, ex symptomatum collatione dijudicetur; ne fictis, variis ac falsis publicum, praecipue vulgus credulum, eludatur. Maleficos homines venenis aliisque malis artibus aliorum mortalium valetudinem secundam laedere, quin eos occidire posse, nullam dubitationem recipit, multisque criminibus demonstratum est.

Nociva autem haec omnia non nisi per immediatum cantactum aedunt atque etiam in illis casibus, ubi per invisibilia effluvia corpori sese insinuantia, nocent. Physica in corpus distans non habere

efficacitatem, jam dudum demonstratum est. Providentiae divinae et virorum prudentissimorum optimarum in republica partium operae debemus, quod rogi tandem flagrare cessaverint, nec publica justitiae administratio in religionis ac rationis humanae dedecus caedibus commaculetur injustis. Attamen plebis superstitionem radicitus exstirpare, ejus ineptias funditus delere! hoc opus, hic labor!

## Vita.

Ego Florianus Ceynowa, confessioni catholicae adscriptus, die quarto mensis Maji A. MDCCCXVII patre Adalberto, quem defunctum ex annis quattuor lugeo, matre Magdalena e gente Pienczen, quam ante annum mihi mors eripuit, natus sum in pago Slawoszyn, qui in terra Pucensi est situs.

Primis literarum elementis imbutus, quattuordecim annos natus adii gymnasium Coniciense, quod ductu auspiciisque celeberrimorum virorum Beat. Gahbler, Prof. Junker et Dr. Brueggemann per novem annos frequentavi atque maturitatis testimonio acquisito reliqui anno hujus saeculi XLI.

Autumno ejusdem anni me contuli Vratislaviam, ubi a professore Ill. Elvenich, penes quem tunc temporis erant rectoris magnifici munera, in civium academicorum numerum sum receptus et paulo post a prof. Ill. Prukinje, t. t. decano, in medicorum album sum inscriptus. In alma Viadrina docuerunt me prof. Ill. Thilo logicen; Ill. Braniss psychologiam; Ill. Gravenhorst zoologiam; Ill. Nees ab Esenbeck botanicen generalem; Ill. Glocker mineralogiam; Beat. Pohl physicen experimentalem nec non electro-magnetismum; Cel. Mueller chemiam experimentalem; Cel. Duflos chemiam pharmaceuticam; Ill. Barkow osteologiam; Beat. Otto anatomiam corporis humani theoreticam et artem cadaverum rite secandorum; Ill. Purkinje physiologiam hominis; Ill. Goeppert materiam medicam et artem formulas medicas rite concinnandi; Cel. Neumann pathologiam generalem; Ill. Benedict chirurgiam universam; Ill. Klose me-

dicinam forensem. Clinicum et policlinicum chirurgicum duce Ill. Benedict frequentavi auscultans.

Biennio elapso ad stipendia militaria absolvenda et studia medica continuanda sum profectus Regiomontum, ubi a professore Ill. Neumann in numerum civium academicorum relatus a prof. Beat. Sachs, t. t. decano spectabili, in album medicorum sum inscriptus. In academia Albertina porro mihi anditori per quinque semestria seu biennium et sex menses explicaverunt prof. Ill. Rosenkrantz metaphysicen; Ill. Meyer botanicen specialem; Ill. Moser physicen organorum sensuum; Beat. Sachs therapiam generalem, pathologiam et therapiam specialem; Ill. Seerig chirurgiam specialem, ophtalmiatricen, morbos syphiliticos, operationes aciurgicas et artem fascias rite imponendi; Ill. Hayn artem obstetriciam et theoreticam et practicam.

Clinicum et policlinicum medicum duce Beat. Sachs; policlinicum medicum duce Ill. Hirsch; clinicum et policlinicum chirurgicum duce Ill. Seerig; policlinicum chirurgicum et medicum duce Ill. Burow; clinicum et policlinicum obstetricium duce Ill. Hayn frequentavi et auscultans et aegrotorum curam in me recipiens.

Quibus omnibus praeceptoribus optime de me meritis gratias ago quam maximas, eorumque memoriam usque ad cineres me esse servaturum ex intimo corde profiteor.

Stipendia praeterea merui in legione prima, quo in officio ea ducum doctissimorum Dr. Linden, Dr. Raths, Dr. Braune et Dr. Dietrich erga me clementia et humanitate sum fructus, ut eorum memoriam nunquam obliviscar, iisque viris gratias agam quam maximas.

Jam vero tentamine philosophico et rigoroso rite absolutis, spero fore, ut hac dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

## Theses.

1. Non omnes plebis medicamenta sunt refutanda.
2. Sanguis suo tempore missus est medicamen inflammationis efficacissimum.
3. Hydrargyrum habet similem effectum in glandulas salivales et in pancreas.
4. Acidum carbonicum habet minorem cum sanguine affinitatem quam oxygenium.

Drukiem S. Buszczyńskiego w Toruniu.
Nakładem „Spółki Wydawniczej E. G. m. b. H.", Kościerzyna.
Redaktor odpowiedzialny Dr. Franciszek Kręcki w Gdańsku.
Adres wydawnictwa: Gryf, Danzig, Hundegasse 21.